



**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.  
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

§. I. Quomodo cesset privilegium per renuntiationem?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

10. *Usu contrario labefactatur privilegium quoad illum actum.*  
 11. *Triplex abusus privilegii.*  
 12. *Si abusus per modum conditionis dissolutiva sit inferius privilegio, amittitur privilegium post sententiam declaratoriam abusus.*  
 13. *Si abusus sit contra finem privilegii, perit ipso facto.*  
 14. *Per abusum regulariter amittitur privilegium post sententiam iudicis.*

## §. I.

*Quomodo cesset privilegium per renuntiationem?*

1. **L**oquimur de renuntiatione non improprie sumpta, qualis est etiam voluntas non utendi privilegio, sed de proprie accepta, quæ est voluntaria cessio & abdicatio juris ad utendum privilegio, quæ dividitur in expressam & tacitam. De tacita & interpretativa, quæ non distinguitur à non usu vel abusu, §. sequenti; de expressa & formali hoc loco.

Quæres primò: An & quando per renuntiationem amittatur privilegium?

2. Respondeo. Quando privilegium solummodo respicit favorem privilegiati sine præjudicio tertii, tunc per renuntiationem potest amitti privilegium: quia sicut quilibet sua voluntate potest subire onus & obligationem, quæ prius non tenebatur, ita potest cedere juri suo, commodo & favori. ex c. ad Apostolicam, de Regularibus. l. si Judex. ff. de minoribus. l. quod favore. C. de leg.

3. Unde Inferes. Non valde renuntiare à persona particulari, nec proinde amitti privilegium, quod non in solius renuntiantis personæ, sed etiam in alterius, vel plurium favorem concessum est: quo fit, ut nec Clericus privilegio fori, nec Religiosus privilegio suæ Religionis, Monasterio, Communitati concessis, nec filiusfamilias sub patria potestate constitutus Senatusconsulto Macedoniano in boni publici, & parentum quoque favorem concessio valide renuntiet. ex c. si diligenti, de foro competentis. & L. cum publicum. ff. de pactis.

4. Dixi notanter in responsione, posse amitti privilegium; nam

Quæres secundò. Utrum requiratur acceptatio concedentis privilegium ad hoc, ut actu amittatur? Respondeo affirmative: quia quamdiu concedens privilegium ipsius renuntiationem non acceptat, moraliter & habitualiter perseverat voluntas illud conferendi: sed hæc subsistente privilegiatus semper potest illud sibi appropriare, & priorem voluntatem renuntiandi retractare: quemadmodum & donatarius manente voluntate donantis potest acceptare prius recusatam donationem, procurator constitutus, qui prius noluit acceptare mandatum, potest illud acceptare, quandocunque placuerit, si constitutus in sua permanserit voluntate; electus, qui noluit consentire electioni, adhuc potest consentire, quamdiu eligentes in sua voluntate perseverint: beneficiarius repudiata prius collatione præsentata beneficii, potest in illud consentire, permanente voluntate conferentis. per c. licet de R. P. Mezg. Schol. Tom. II.

Procuratoribus in 6. Ita Sánchez, Suarez, Reading, aliique.

Quæres tertio. An, ut per renuntiationem actu amittatur privilegium odiosum cedens in præjudicium tertii, prærequiratur acceptatio tertii, cuius interest? e. g. an, si renuntias privilegio non solvendi decimas, prærequiratur acceptatio illius, cui de jure forent solvendæ?

Respondeo, ejusmodi renuntiationem semper revocari posse, quamdiu is, in cuius favorem cedit, nondum acceptavit; eò quòd talis renuntiatio æquiparetur donationi, quæ tamdiu est revocabilis, quamdiu non fuit acceptata à donatario. ex gloss. in c. cum venissent. Verb. obruli, de eo, qui mittitur in possessionem. Sic Suarez, cit. l. 8. c. 33. Castropal, cit. p. 17. n. 6.

## §. II.

*Quomodo amittatur privilegium per non usum, vel abusum?*

Quæres primò. Quomodo amittantur privilegia per non usum?

Respondeo primò. Privilegium, quod in nullius cedit præjudicium, uti est privilegium administrandi Sacramenta, non amittitur solum per non usum, quandocunque tempore continetur, sive fuerit, sive non fuerit occasio illo utendi. Suarez, Castropal. aliique.

Ratio est: quia usus est in libera potestate & jure utentis, libera autem omisso non præjudicat juri & potestati. Habetur in l. unus ex sociis. §. ult. de servit. vest. præd. Nec obstat in contrarium. L. ff. de nundinis, ubi statuitur, privilegia amitti per non usum, quia loquitur de privilegiis cedentibus in aliorum gravamen ac præjudicium. Unde.

Respondeo secundò. Privilegia cedentia in alterius gravamen amittuntur per non usum, quando gravatus adversus privilegiatum legitime præscribit. Suarez, Palao citati, aliique: quia actus contra privilegiatum à tertio exercitus inchoat in ipso possessionem, cui si privilegiatus intra tempus præscriptioni præfinitum non contradicat, valebit præscriptio, & perimet privilegium, quemadmodum & juri communi potest derogare.

Inferes ex dictis primò. Etiam privilegia negativa nullum gravantia, v. g. non jejnandi, non recitandi horas Canonicas, &c. non amitti per actum contrarium. Ratio est eadem, quæ de privilegio positivo; cum liberum sit privilegato, uti vel non uti suo privilegio: atqui in istis privilegiis non usus consistit in actu contrario.

Inferes secundò. Ad legitimam præscriptionem contra privilegium habens tractum successivum temporis, sufficere unicum actum contrarium non retractatum. Ita Haunold, Palao, Suarez, Petschacher cit. aliique. Ratio est: quia possessio bonæ fide inchoata, & legitimo tempore continuata parit præscriptionem contra jus: sed per unicum actum potest bonæ fide inchoari possessio, eaque quamdiu non retractatur per protestationem, vel alium actum oppositum, moraliter continuatur; ergo si elabatur tempus præscriptioni præfinitum, per unicum actum poterit præ-